

1. Humnius, Helfr. Ulr.: De monarchia ejusque officio et potestate. 1614.
2. Humnius, Helfr. Ulr.: De amissione feudi ob feloniam vasalli. 1614.
3. Humnius, Helfr. Ulr.: De successione feudali. 1614.
4. Krenbergk, Christ.: De possessionis acquisitione. 1614.
5. Grosius, Matth.: De jure sequestris: in l. Un. C. de prohib. sequestr. et. c. 1. a. 2. Extr. de sequestr. pms. et. fruct. cum similibus, lry. 1615.
6. Reusner, Barth.: De recusatione suspecti iudicis. 1615.
7. Strauch, Joh.: De successione descendenti um. 1615.
8. Weindelberger, Hier.: De praedicationis ingenere, et in specie de praedicatione substantiae. 1615.
- 1616, 1: ^{Beskränkung} 9. Krenberger, Christ.: Disceptatio controversarum Positionum juris legalis et feudalis. 1616.
10. Lentius, Friedr.: Delineatio differentiae jurisdictionis monarchicae Romanae veteris et hodiernae. 1616.
11. Hellenbach, Ernst: De locorum affectorum, secundum Galenum, notitia. 1617.
12. Hirschbach, Wolsfg.: De regalibus. 1618.
13. Lederer, Mich.: Disputationem... inauguralem in l. un. C. de sent., quae pro eo, quod interest, proferuntur, petitionem... propugnat: lry. Heidelbergae. 1618.

14. Reuter, Joh.: Quaestionum controversarum materialium
testamentariam concernentium Decas VII. 1618.
15. Brunner, Balth.: De locatione conductione et empty-
lessi. 1619
16. Reuter, Gottfr.: De amissione feudi. 1619.
17. Reuter, Gottfr.: De Fidei iuramento et eius renovatione 1619.
18. Weixelberger, Hier.: De natura et constitutione phi-
losophiae moralis. 1614.
19. Forster, Val. Wilh.: De personis feudum dantibus et acci-
pientibus 1620.
20. Reuter, Gottfried: De triplici domesticitate, subjectionis,
et vasallagii fidelitate, ejusdemque jramento. 1620.
Fina, 1740.
21. danielbe. Fina. 1741.
22. Bluetius, Andr. Fak. F.: De syllogismo Topico. 1621.
23. Carpov, Konrad: Conclusionum Juris ad Institutiones
Justiniani Imp. Decas I. 1621.
24. Carpov, Konrad: Conclusionum Juris ad Institutiones
Justiniani Imperatoris Decas 2. 1621.
25. Kimmann, Friedr.: De statu reip. monarchico. 1622.
- 1622, 15 Kremberg
26. Lederer, Michael: De officiis personarum, pers-
onalibus et realibus. 1622.

27. Müller, Johann : De caelo. 1622.
28. Reutter, Gottfr. : De dominis. 1622.
29. Avenarius, Joh. : De amplificatione rerum publicarum ¹⁶²³ ~~1624~~.
30. Mueller, Joh. : De conjunctionibus magnis in genere ¹⁶²³
 et de nuperrima, quae mense Julio accidit, in specie.
31. Reusner, Fer. : De cambiis, vulgo Wechsel u. Wechselbri-
 fen. 1623. Reusner, De mutua conj. success. 1623.
32. Grocius, Henning : De alendis liberis, 1624.
33. Reutter, Gottfried : De testamentis 1624.
34. Reusner, Jeronias : De feudi amissione 1625.
35. Hinkelius, Valentin : De attributis astronomiae 1626.
36. Krambergk, Christian : De publicis judiciis. 1626.
37. Krambergk, Christian : De successioneibus, quae ab intestato
 deferuntur 1626.
38. Reutter, Gottfr. : De privatis delictis in genere, eorum.
 que actionibus et poenis 1626.
39. Reutter, Gottfr. : De jure venandi. 1626.

Faint, illegible handwriting on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



1244

Disputationum Ethicarum

D U O D E C I M A

De

1613 7

NOBILITATE,

In incluta VVittebergensi Academia
proposita,

39.

P R Æ S I D E

J A C O B O M A R T I N I

Professore publico Ordin: &
Extraord.

R E S P O N D E N T E

D A V I D E Heinrichs, Lüne-
burg. Saxone.

Ad diem 30. Januarij.

W I T T E B E R G Æ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi.

M. DC. XIII.



124

27

CHILLEN

JACOBO MARTIN

DR. DE LA

WITTEBERG



Disputationum Ethicarum DUODECIMA.

T H E S E S

1. Nobilitas (a) est dignitas generis (b) ob virtutes praesertim bellicas (c) à persona maiestatem habente (d) certis adhibitis solemnitatibus, collata, nec non privilegijs & insignibus (e) confirmata.
2. Dividitur vel per modos vel per species.
3. Per modos divisa Nobilitas, alia est acquisita, alia congenita. (f)
4. Acquisita est nobilitas, beneficio Principis alicui ob virtutem propriam donata, à quo postmodum, tanquam primo stemmate, ad posteros derivatur.
5. Congenita est illa ipsa dignitas ad posteros continuata.
6. Nobilitas per species divisa est vel publica vel privata (g)
7. Publica (h) est Gentis & civitatis, qua nobilitate natio una alteri praefertur.
8. Privata (i) est in serie certarum familiarum.

A N A T A S I S.

(a) Nobilitas ¶ Graecis εὐγένεια est. Quanquam Cicero haec non plane idem significare & esse docet. Appio enim irridenti Ciceronis novitatem, ut novam Arpinatem, jactantiq; familiae suae antiquitatem & splendorem, nempe existimanti, ibi non esse nobilitatem, ubi non sit εὐγένεια, & generis splendor, respondet Cicero, cumq; admonet, ut paulo altius attendat, quid Athenodorus Stoicus de his rebus dicat, ut quid sit εὐγένεια, quid Nobilitas intelligat, posse mirum aliquem esse εὐγενῆ seu εὐγένειαν habere, & tamen nobilem non esse.

DISPUTATIONVM ETHICA

- Cum pleriq; ex bonis & illustribus parentibus nati sint flagitiosissimi, quos nemo verè nobiles dixerit, nisi dicamus, in malitia & crimine nobilitatē consecutos esse.
2. Alias ꝑ etiam Nobilitatis vox, si originem intuemur, admodum generalis est. Desciendit n. à verbo Notus, ut Nobilis sit, quasi noscibilis. Hinc usitatissimum Latinis, epitheton hoc rebus tam bonis quàm malis, modò in suo genere sunt nota & excellent, tribuere: ut Nobilis sus, Nobile scortum, & sic de ceteris. Latissimam.
 3. ꝑ hanc verbi Nobilitatis significationem explicare videtur definitio Iohannis Gersonis in tractatu de Nobilitate, 2. parte operis explicare, ubi inquit: Nobilitas est eminentia quèdam, vel principalitas seu excellentia inter alias res sui generis, habens facultatē aliquam in alias, præsertim.
 4. propinquas, influendi. Vbi ꝑ Gerson præter alia nobilitati principalitatē tribuit. Quandoquidem nulla videtur esse nobilitas sine quodam principatu, quæ ab excellentia virtutis vel vitij fluit: unde etiam hunc præmittit, tanquam illius
 5. fundamentum. In latissima ꝑ igitur hac significatione Nobilitatis vox tam irrationalibus, quàm rationalibus sive hominibus accommodatur. Notat enim
 6. quamvis rem & creaturam, quæ perfectior est in operationibus. Ergò ꝑ Homo scilicet cum ceteris rebus creatis conferatur, omnium erit nobilissimus: quippe qui nobilis est: 1. ratione imaginis Dei, ad quam conditus est. 2. ratione præstantissimarum facultatum animæ, nempe Intellectus & Voluntatis. 3. ratione Dominij, quod in prima creatione à Conditore suo accepit supra omnia animalia. 4. ratione partium Heterogenearum corporis, ut sunt membra partim principalia, caput, cor, epar: partim minus principalia, pedes, manus, intestina, viscera. 5. ratione $\pi\omicron\lambda\iota\tau\acute{\epsilon}\upsilon\mu\alpha\tau$ ☉, quod non in terrestribus, sed in cælo est. Hujus enim causâ, ut Ovidius canit:

Pronaq; cum spectant animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

7. Generalem ꝑ hanc vocis significationem si quis retinere velit, tum Hominis Nobilitatem non incommodè dividere poterit in Generalem & Specialem.
8. Generalis ꝑ est, quæ Homo ratione aliarum creaturarum in substantia & operationibus nobilissima est creatura, sive pauper, sive dives, sive plebejus sive alterius
9. ordinis sit. Est igitur hæc omnium hominum, ut ex dictis liquet. Specialis ꝑ est tantùm quorundam: Est q; duplex Divina & Humana. Divina est elevatio ad Deum, & accessio ad illum: cujus Nobilitatis caput est ipse Deus. Speciem hanc Piccol. gr. 8. c. 16. non tantùm ad homines, sed ad divinas quoq; mentes exten-

dit.

RVM DVODECIMA.

ait, ideo q̄ in hoc nobilitū genere hominē postremo loco ponit, prout nimirū in manu
 Mentis cum divinis affinitatis nodo est conjunctus, & eorum nobilitati est par-
 ticeps. Addit ꝑ porro Piccolomineus, Hanc hominē tum maxime patrefacere, dum
 (neglectis mortalibus) ad divina adspirat, eaq̄ sola magnificat. De nobilitate hac
 loquitur Averroës lib. 2 de cel. com. 64. Nobile perfecte est tantū unum,
 nempe Deus. Cætera non appetunt suā actione, nisi reddi similia ei,
 quod perfecte nobile est. Et ꝑ merito quidem hæc censetur vera nobilitas: 11.
 cum sit optimum genus eorum, quæ sunt. Loquitur ꝑ etiam de Nobilitate hac D. 12.
 Hieronym. in quadam epist. Ille apud Deum præest potior, non quem no-
 bilitas generis nec dignitas seculi, sed quem devotio fidei & sancta
 vita cōmendat. Et Bernhardus ad Eugenium ait: Genus Apostolorum est
 non aliunde nobile, quam morum ingenuitate, & fidei fortitudine.
 Cæterū ꝑ Humana Nobilitas, aliā est tantū καὶ ἀναλογικὰ magis pro- 13.
 priè ita dicta. Nobilitas Analogica est fortuna, nempe externa illa nobilitatis
 imago, in bonis fortunæ, h. e. in rebus divitiarum apparens. Nobilitatē ꝑ hanc pro- 14.
 bat & commendat Atbalaricus Rex, quando apud Cassiodorum lib. 8. varior.
 c. 19. Senatui scribens, antiquas & inveteratas divitias, nobiles facere tra-
 dit. Et Simonidi sententia est, referente Aristotele apud Stobæū: Nobiles esse
 illos, qui ex majorib. longo tempore locupletioribus, orti sunt. Imò
 ꝑ ipse Aristoteles in Rhetoricis divitias partem nobilitatis facit. Verū eruditè 15.
 id explicat Piccol. gr. 8. c. 15. in fine: quod est verum, inquit: quatenus
 divitiæ constituunt nobilitatē popularē: ac insuper quatenus sunt in-
 strumenta, per quæ virtutes parantur, & parte per actiones refulgent.
 Verū enim verò, ꝑ hæc nobilitas non est, sed, ut ibidem rectè docet Piccol. nobilita- 16.
 tis umbra, quæ oculos vulgarium hominum obumbrat & illudit: Divitiæ n. cum
 vitij non pugnant, vera nobilitas maxime pugnat. Unde rectè dicitur Mida divi-
 tiās non fuisse nobiliores, paupertate Sacratu vel Aristidis.

Nobilitas ꝑ porro, magis propriè ita dicta, vel Virtutis est, vel Generis. 17.
 Virtutis nobilitas, quæ & personæ dicitur, est congruens morū compositio, virtu-
 tum habitib. confirmata. Vel est habitus virtutis, more & assuetudine compara-
 tus. Cujus principia juxta Piccol. gr. 8. c. 16. sunt: studiū, cura, diligentia, recta
 cōsultatio, cōgruens prelectio, assuetudo q̄ proba. Forma est ipsemet virtutis habitus
 proxima q̄ facultas agendi: Splendores sunt eius actiones: Testimoniū a. est Honor
 externus.

DISPUTATIONVM ETHICA.

18. externus. De Nobilitate ꝛ hac potissimum loquuntur Philosophi: eamq; Comi-
ci & Poëta celebrant & commendant. Sic Euripides in Dictij:

εἰ δ' εὐγένειαν, ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά.
ὁ μὲν γὰρ ἑσθλὸς εὐγενὴς ἐμοίγ' αἰνῆς.
ὁ δ' ὀδύνην, καὶ ἀμείνοιο πατρὸς
ζῆτος πεφύκη, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

De nobilitate parum laudis prædicare possum.

Bonus enim vir mihi nobilis videtur.

Qui verò non justus est, licet à patre meliore

Quàm Jupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi censetur.

19. Socrates, ꝛ Nobilitas quid esset suscitanti; Animæ, respondit, & corpo-
ris bona temperies. Stob. serm. 34. Et Democritus interrogatus, in quibus No-
bilitas consisteret; respondit: Pecudum nobilitas, in bono validoq; corpo-
ris habitu posita est, hominum autem in bonitate morum. Stob. ibid.
Sic Theocritus audiens quendam ob parentum nobilitatem plurimum laudari à
quodam, Heus, ait, vir bone, Generosos arbitreris esse, non eos, qui ex
bonorum & illustrium stirpe prognati sunt, sed qui honestatem o-
mnibus rebus præposuerunt. Eadem quoq; fuit Platonis sententia, quam cõ-
20. plexi Stoici omnes, solos sapientes nobiles esse voluerunt. Hoc ꝛ igitur modo nobi-
litas sumitur pro quavis dignitate, quæ ex virtute profiscitur, unde illud Iuve-
nalis:

— Nobilitas sola est atque unica virtus.

21. Verum enim verò ꝛ quia nobilitas hæc à virtute vel ab inclinatione eius penè nihil
distinguitur: & nihilominus nos discernere oportet, inter virtutē & inter ejusdē
insignia, & non confundere virtutem cum Nobilitate specialiter ita dicta: ut de
præcedentibus speciebus hoc loco ex professo nihil, sic neq; de hac propriè agimus:
22. sed de specialissima illa, quæ dignitas Generis est. In eius ꝛ definitione diffe-
rentia, quibus à reliquis dignitatibus distinguitur sunt annotanda: Nam de gene-
re supra sufficienter est actum. (b) Prima sumitur à subjecto. Est enim digni-
tas generis. Aliæ dignitates in una terminantur persona: verum Nobilitas licet
ab una sumat initium, per totum tamen genus & posteritatem continuatur. (c)
23. Altera ꝛ est à causa impulsiva: Aliæ dignitates propter omnes tribuuntur vir-
tutes; Hæc verò præcipuè propter heroica & bellica facinora aut alioquin magna
24. in Rempub. merita. (d) Tertia ꝛ à causa efficiente, quæ est persona in sum-
mo Magistratu constituta, & jus Majestatis habens: ubi cæteræ dignitates
ab

RVM DVODECIMA.

ab omnibus hominibus conferri queant. (e) Quarta † à Modo agendi. Dignitas 25.
 enim hæc confertur adhibitis singularibus ceremonijs & solemnitatibus, additis
 certis prerogativis & privilegijs : Ceteræ contra sine specialibus solemnitatibus
 & privilegijs dantur. (f) Dividimus † porro Nobilitatem hanc dupliciter, per 26.
 modos & per species, (g) Modaliter distinguitur in Acquisitam & Congenitam.
 Per illam † dicuntur nobiles creati & novi, Per hanc specialiter ex genere nobi- 27
 les : quod gentilitate sive ex gente sua propria trahant nobilitatem, illamq; habe-
 ant antiquam, unde & hæc dicitur Nobilitas naturæ : quia eam quasi à natu-
 ra, nempe per generationem, habent Nobiles. In Gallijs ut hi ab illis sese distin-
 guant, nolunt vocari Nobiles, sed gentiles homines, gentils hommes : suam
 quippe Nobilitatem longè majorem dignitatem esse existimantes, quàm creato- 28.
 rum & novorum. In qua † etiam opinione sunt pleriq; in Germania Nobiles, cum
 tamen res & dignitas ubiq; sit eadem & discrimen duntaxat consistat in modo :
 quod in creato illo nobilitas primùm ceperit : ad Gentilem verò sit longa serie de-
 rivata. Si igitur jam queras, quid sit ad hunc derivatum : Certè respondebitur,
 id, quod primo, ac ita stemmati, à summo Magistratu fuit donatum. Ergo quæ no-
 bilitas primo datur, essentià est eadem cum ea, quæ continuat à in honore & digni-
 tate sunt posteris. Nobilitatem † generis & quidem Naturæ unice agnoscere vi- 29.
 detur Aristoteles. Sic enim de illa loquitur lib. 5. de Republ. cap. 1. Nobiles ij-
 demum videntur esse, in quibus majorum virtus inest & copiæ. Et lib.
 2. Rhetor. cap. 5. inquit : Nobilitas est majorum quidam splendor & cla-
 ritas. Et lib. 1. de hist. anim. cap. 1. ait : Nobile id est, quod ex bono prodijt
 genere. (h) Dividimus † tandem Nobilitatem Generis in duas quasi species : 30.
 Publicam & Privatam. Species has vocamus, quia non sunt ejusdem naturæ,
 ut Acquisita & Continuata. De utraq; † ita loquitur Piccolom. gr. 8. c. 16. 31.
 Naturæ nobilitas duplex est. una, quæ competit uni familie comparata cum al-
 tera; & dicitur Nobilitas Privata : Altera est Regionum & Urbium, quæ Publi-
 ca nuncupatur. Hinc Plato & Aristoteles Atticæ regionis nobilitatem miris lau-
 dibus extulerunt : & frequenter contigit, ut Regiones & urbes inter se de nobili-
 tate litigarint. Et quemadmodum in nobili familia, quicunq; ingenuis suis majo-
 ribus se reddunt similes, Generosi nuncupantur; qui gloriam suorum majorum
 propria virtute amplificant, nobilitatem augere & illustrare dicuntur : ita de
 Nobilitate Regionum & urbium se habere putandum est. (i) Aristoteles † lib. 32.
 1. Rhetor. ad Theodect cap. 5. dist. G. Nobilitatem publicam describit hunc
 in modum & his ipsis verbis : Nobilitas Gentis & Civitatis est, quando in
 illa

DISPUTATIONVM ETHICA

illa indigenæ & antiqui sunt, & duces primi illustres & multi illustres nati sunt ex ipsis in ijs, quæ cadunt sub æmulatione. Ad publicam g. Nobilitatem, juxta hanc Philosophi descriptionem, requiruntur quatuor. 1. Ut populi sit indigenæ. 2. Ut sint antiqui. 3. Ut eorum actiones fuerint illustres. 4. Et tandem ut multi in ipsis fuerint illustres. (k) Privatam ¶ finit idem ibidem: Privata nobilitas aut à Viris aut à Mulieribus est, & legitima origo ab utrisq; : quemadmodum in civitate, quando primi clari sunt vel in virtute vel in divitijs, vel alia earum rerum quæ honorantur, & multi illustres sunt ex genere, tum Viri tum Mulieres, tum Juvenes, tum Senes. Ergo etiam ad Privatam Nobilitatem quatuor requiritur Philosophus: 1. Ut existat tum à viris tum à feminis. 2. Ut legitima sit origo. 3. Ut autores generis fuerint illustres. 4. Et tandem ut multi in familia fuerint illustres.

Quæstio I.

An Nobilitas sit purum putum hominum inventum,
an verò in natura fundamentum suum
habeat?

1. Nobilitatem ¶ ob virtutem dari diximus, dari autem non personæ tantum, sed generi, & toti posteritati per personam & stemma primum. Nititur ¶ igitur Nobilitas generis hac hypothese, quod Boni ex bonis nascantur, nec in bellum generet aquila columbam. Queritur ergo dato problemate: An qui ex parentibus & majoribus præstantioribus sint nati, indolem quoq; obtineant præstantiorem, atq; ita nobilitatis fundamentum, adeoq; ipsa collata nobilitas in posteros revera maneat & propagetur. Philosophorum ¶ & Poëtarum monumenta quando evolvimus, ferè ubiq; sinistram de nobilitate hac invenimus judicium. Planè enim illam ut rem vanam & fictam, quæ revera nihil sit, sed in sola hominum opinione ponatur, æstimant. Sic enim Euripides in Alexandria:

Superflua est oratio nobilitatem,
Si mortalem laudaverimus,
Olim enim cum primum nati sumus,
Et mater tellus homines fornavit,

Omni-

GICARVM DVODECIMA.

Omnibus consimilem largita est faciem,
Peculiare nihil habemus. Sed una generis ea-
demq; origo

Nobiles ac ignobiles produxit.

Et Epicharmus sive Menander apud Stobaeum inquit:

Perdet me genus. Ne nomines, si me amas,

Mater ad singula genus tuum. Quibus enim na-
tura

Nullum adfuerit bonum proprium,

Illi confugiunt ad monumenta,

Et genus suum & avos enumerant, quot habu-
erint.

Ac ne unum quidem videris aut nominaveris, cui

Non sint avi: aliter enim quomodo nati essent?

Quod sitamen indicare id nequeunt, propter ali-
quam

Loci mutationem, aut amicorum penuriam,

Quid propter hoc ignobiliores illis, qui avos suos
numerant?

Et † Sophoclet apud eundem ait:

In hominum genere una produxit ex patre &
matre

Lex nos omnes: neq; praestantior

Alius alio natus est. Sed sequitur aliquorum

Sors infortunij, alios nostrum opes & felicitas.

Sunt qui necessario servitutis iugo premuntur.

Et † Phalaris in epistola ad Axiochum apud eundem: De nobilitate, in-
quit,

B

7.

DISPUTATIONVM ETHICA

quit, non minus quàm de alijs bonis gloriari, non indignum est. Ego autem præter virtutem nullam agnosco nobilitatem: reliqua verò cuncta fortunam æstimo. Nam humili genere natus ut bonus, ita regum & omnium hominum nobilissimus fieri potest. Contra aliquis parentibus bonis ortus, malus evadere potest, ac tum seipso, tum vilissimis quibusq; ignobilior. Glorieris igitur de laudibus animæ, non de majorum nobilitate in obscuriore posteritate jam extincta.

8. *Disputant t̄ alij: Mundus aut æternus est, aut in tempore factus. Si æternus, omnes in eo æternitatis cursu locati sumus; si principium habet, ut habet, omnes ex unius parentis semine ortum ducimus: Ergo inaniter videntur nonnulli de nobilitate gloriari, seq; tanquam nobiliores alijs præferre. Nullam igitur isti nobilitatis formam in hominum genere admittunt, præter unicam illam, quam unus quisque propria virtute sibi acquisivit, aded ut quilibet suæ vel nobilitatis vel ignobilitatis sit faber: Proptereaq; Nobilitas generis non in natura fundamentum habeat, sed duntaxat lege & siulta hominum opinione introducta sit. Verum enim vero t̄ horum sophismata facili negotio per naturam ipsam reselluntur & rejiciuntur. Si enim in metallorum genere aliud alio est præstantius: si in plantis & arboribus magna reperitur varietas; si in animalibus ex generatione magna est differentia, unumq; altero nobilius & ignobilius? Cur non idem concedendum in genere hominum, cum id quoad procreandam sobolem ceteris animalibus sit simile. Deinde t̄ testatur experientia, hominum quedam studia certa, moresq; invariables pro loco: um & regionum varia natura & temperamento ad successionem perpetuâ hereditate traduci: Ergo multo magis ipsi parentes id præstabant, quorum quasi pars sumus liberi: proindeq; non perinde erit, si ve barbara si ve Græca sumus originis. Tertio t̄ quotidie quoque observamus, etiam accidentia, quæ visuntur in parentum corporibus, generatione transferri in sobolem, temperamentum quoque, morbos, & similia; quidni igitur & animorum cum corpore complicatorum propensiones, quæ ut plurimum temperamentum corporis sequuntur, in sobolem propagari queant. Approbat t̄ etiam sententiam hanc Philosophus, quando lib. 1. Histor. animal. cap. 1. discernens inter Nobilem & Generosum: Nobilis, inquit, est qui ex bono prodijt genere: Generosum verò est quod non degeneravit à sua natura. Et lib. 3. Polit. cap. 8. ait: Nobilitatem apud omnes in honore haberi: quia consentaneum est ex melioribus ortos esse meliores. Et t̄ licet longe verissimum sit, quod*
- incul-*

RVM DVODECIMA.

incolat Cicero. i. offic. Honestum et si nobilitatum non sit, aut si etiam
a nemine laudetur, laudabile tamen est natura sua: discernendum ni-
hilominus est, ut supra quoque monuimus, inter Virtutem & eius premia, adeo-
que inter Virtutem & Nobilitatem in specie ita dictam, hoc est, generis. Pro-
dest enim illa partim ad conservandam distinctionem familiarum in genere hu-
mano: partim propter ordinem in Republ. & propter belli tempora. Ut con-
stet, quae familiae majori gaudeant, & libertate & privilegijs; undeque duces ex-
ercituum sumi debeant. De quo † discrimine in Republ. eleganter differit Ci- 14.
cero in orat. pro sextio: Omnes boni semper nobilitati favemus, &
quia utile est Reipubl. nobiles esse homines, dignos majoribus suis,
& quia valere debet apud nos clarorum hominum bene de Republ.
meritorum memoria, etiam mortuorum. Neque † ordo & nobilitas 15.
(uti quidem illi sibi imaginantur) Natura legibus videntur Natura enim,
quae necessaria sunt, fecit communia: At ex varietate recipientis, propriorum
principiorum, materiaeque proxima, varie prodeunt singulorum condiciones, &
multiplicia hominum ingenia profiscuntur. Piccolom. grad. 8. cap. 14.
Quocirca † ut longè verissimum est; ita utraque manu largimur & concedimus, 16.
Eandem omnibus primam originem fuisse. Verum distinguatur hic inter o-
riginem & successionem ab illa. Nulla enim est consequentia, omnium una su-
it origo: ergo una quoque eademque ab ea successio. Quandoquidem ob regio-
num, vitae generum, institutionum, consuetudinum, alimentorum, animi adfe-
ctionum & similiarum varietatem, varie in longissima serie continuata illa succes-
sione redditae sunt causae, proindeque varia ex illis orta, effecta. Quod † si inter- 17.
dum contrarium accidat, & vir probus improbos, vel ad improbitatem propen-
sos, pariat filios; & contra ex vili etiam casula prodeat vir magnus, inque Scythia
Anacharsis Philosophus floreat: id nihil sententiae nostrae derogat. Quandoqui- 18.
dem † nos id, quod communiter & ordinatè in natura evenit, non quod extraordi-
nariè & per accidens contingit, considerare debemus. Natura enim, ut pluri-
mum suas conservare leges consuevit, secundum quas (ut Horatius canit)

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquile columban.

B 2

Qua-

DISPUTATIONVM ETHICARVM

Quaestio II.

Si boni ex bonis nascuntur, cur multi, ex parentibus
claris orti, degenerant?

Verè & dixit Euripides in Antigone:

1.

Persuasio, patribus filios esse similes,

Sapè falsa in liberis apparet.

*Hoc quoq; Phocylides dixit, plurimos esse genere
nobiles*

*Quos neq; dicendo, neq; consulendo ulla gratia
sequitur,*

*In copiosa hominum multitudine aliquando repe-
ritur*

Bonus ignobilis genere natus, & rursus claro

*Aliquis valdè malus: ita nihil constans aut fidum
est homini.*

2. Imò & non tantùm ex bonis nati, à moribus parentum degenerant & fiunt
valdè mali: sed etiam longè peiores: qui ex ignobilibus nati, improbi facti
sunt, evadunt. Antonius de Guevara in vita Aurelij Imperatoris (quod opus ex
lingua Castellana in latinam à VVankelio nostro eruditè traductum est) nobili-
tatis hodiernæ cum antiqua collationem instituens lib. 3. cap. 31. Prob, inquit,
quantum equites nonnulli huius ævi, à moribus, qui olim fuerunt, degenerant.
Majores enim Mauris à se interfectis gloriabantur; at hodiè filij illorum tantùm
jactitant, quot vehes frumenti comportarint. Nunquam suspirare solebant e-
quites prisca, nisi cum in discrimine versarentur presenti: at posteris hodiè si men-
se Majo non pluat, plorant. Certabant Majores, quibus plurimos sustentaret ca-
taphractos; certant posteris, quis ad congerendum sit solertissimus. Hac inter
prisca erant colloquia; domum Titij ducentos, domum Sej trecentos alere Cata-
phractos: Recentium hodiè colloquia sunt; Accij censum esse sex millionum, Ti-
tij decem: itaq; haud vereor dicere, cum hi de multis gloriantur (proventuum)
millionibus, quemadmodum illi de multis sibi placebant, quos alebant, cataphra-
ctis.

RVM DVODECIMA.

et; nihil hoc aliud esse, quàm patres gladium capulo apprehendisse, filios illum
 mucrone arripere. Verumenimverò † isthac forsā excusari possent, & quidem 4.
 paci tempore: si modò equi non planè in boves, lanceæ in stimulos, scuta in vome-
 res, scutigeri in bubulcos, insignia in fascias mutètur, ac in villa deniq; opus facere
 gaudeat, in sinibus verò pugnandi periculum refugiat. Alia † sunt vitia, ea q; 5.
 longè pejora, quibus nonnulli veneranda nobilitati labem & maculam inusserunt,
 & adhuc inurunt non exiguam, adeò ut inter viros eruditos & claros in prover-
 bium abierit: Heroum filij noxæ. Verus eques & minimè simulatus, ut ibi-
 dem sentit Guevera, non sit superbus, non malitiosus, non furibundus, non gulo-
 sus, non timidus, non impurus, non tenax, non mendax, non blasphemus, non de-
 ses: ad summam, non calcari aureo; sed vita integritate glorietur. Vnde † igitur 6.
 sur, quod plerumq; verum sit, quod jam pridem conquestus est Homerus in Odys:

Παῦγοι γὰρ ὅτι τῶ αἰδέσ ὁμοιοὶ πατρὶ τῶ ἐλονταί:
 Οἱ τῶ λέοντες, κακίως. Παῦγοι δέτε πατρὸς ἀρείως.

Pauci enim filij similes patri sunt:

Pleriq; pejores, pauci verò parentibus meliores.

Verumenimverò † rationes istius rei difficiles non sunt. 1. Enim distingui- 7.
 tur inter Bonam naturam & habitum. Illam cum inclinatione ad optima per ge-
 nerationem communicant parentes: hic verò non nisi studio & exercitio compa-
 ratur. Quia igitur inclinatio adhuc rude, imperfectum & admodum lubricum
 ac flexile est fundamentum & inchoamentum, facili negotio fieri potest, ut per
 assuefactionem in contrarium flectatur, mores & habitus contrarij imbibantur:
 ut ita ex optimo parente non quidem nascatur pessimus, sed optime indolis ac speci-
 filius; quia verò postea, deficiente doctrina præceptisq; morum magistris, & contra
 accedente consuetudine malâ, præcepta ad malum agatur: malitiaq; postmodum
 in habitum perfecta, tãt as vires sumat, ut nullo modo, etiam in adulta ætate, cor- 8.
 rigi queat. Atq; hæc est prima potissimaq; tanti mali caussa. Altera † datur à
 Xenophonte & Plutarcho: Nobiles, licet sapientes sint viri; tamen humanitatem
 non exuunt, ideoq; nihil humani à se alienum dicere possunt. Quare vel opibus &
 divitijs, vel pulcritudine decepti, interdum nomine quidem nobilem, re verò igno-
 bilem & malè moratam sibi adjungunt uxorem. Quæ ut in procreanda sobole est
 principium conjunctissimum: ita quoq; validissimum, nec non ad naturam depræ-
 vandam aptissimum. Tertia † ab ætate sumitur, quæ triplex est: Adolescentium, 9.
 extrema senectus, & virilis sive media. Illorum ætas ad procreandam sobolem per-
 fectam

GICARVM DVODECIMA.

- fectam est inepta: ut eum immaturos producant fetus corpore, ita & mente. Senilis adhuc minus est idonea: Tantum extrema & virilis, in qua corpus & mens
10. maxime vigent, est convenientissima. Quarta & sumitur à diversa dispositione Generantis, & à Lemnio de occult. nat. mirac. annotatur. Sunt qui languide & oscitanter, sunt qui ebrj, sunt qui non adeo intenti in rem ipsam mente, actum generationis exercent. Quorum sane fetus à generositate, nobilitateq; parentum desciscere verisimile est. Qui contra ardentius attentiusq; & cum voluptate rem perficiant, similis plerumq; indolis & conditionis sobolem procreare solent, Quando igitur una ex datis causis in aliquo genere & familia deficit, ingenia & indoles paulatim immutari incipiunt, incrementisq; in posteritate sumptis, tandem tota familia degenerat in insana, stolidi, serviliaq; ingenia. Causis & illis adhuc alia & quidem Quinta addi potest. Nempe quod ut bona externa, ita etiam omnia interna à Deo pendent: ut igitur Deus mutat & transfert regna, & omnium rerum facit vicissitudinem: ita etiam propter peccata, que interdum non levia à nobilibus committuntur, non vult, ut semper una vel altera familia emineat: sed elatos deprimat & humiles exaltat, eosq; cum principibus
13. collocat. Quod & tandem Nobiles degeneres peioribus plerumq; sint moribus quam alij, præter speciales infinitas generalis hæc datur ratio: Quod habent naturam ad omnia paratorem, valeantq; plurimum ingenio & cognitione. Eandem reddit rationem Philosophus in re simili Se Et. 29. probl. 7. quando ait: cur homo qui adeo eruditione præditus est, animantium omnium injustissimus (nempe quando à bonis moribus degenerat)? An quia ingenio cognitioneq; plurimum valet. Voluptatem igitur & felicitatem rimatur maxime atq; perpensat: quod nisi cum injuria assequi nemo potest. Videatur Simon Simonius in tractatu de Nobilit. & Keckerem. in cursu Philosoph. dispus. 21. quest. 12.

Questio III.

An nobiles, qui nulla omnino virtute sunt præditi, ideoque majorum duntaxat splendore noti, revera sint nobiles.

1. Non & videntur. Nobilitas enim ingenium habet Relationis. Necessè igitur est, ut prædita sit fundamento: quod est duplex: Principale & minus principale.

RVM DVODECIMA.

Principale est virtus excellens, & cum primis bellica, ut supra audivimus. Minus principale est collatio illius dignitatis, facta à persona Majestatem habente. Destructa igitur virtute, tanquam principaliore fundamento, nobilitas nulla esse videtur: cum Relatio sine fundamento nihil sit: Habet enim, ut loquantur Philosophi, minimam entitatem, ideog. ad esse suum constituendam & conservandum in subjecto sive substantia, semper fundamenti loco requirit aliud aliquod accidens, quo destructo & ipsa destruitur. Hinc Chrysostr. in Matth. hom. Nobilitas vel bonitas cognatorum non valet, nisi fuerimus nos ipsi boni. Et Codrus Vrceolus in Epigrammatibus contra nobiles ita scribit:

Sint tibi Gallorum Rex & Regina parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quam tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Opinione igitur illi potius sunt nobiles quam re ipsa. Inqui, manens nihil minus minus principale fundamentum, nempe ipsam dignitatis collationem? An id satis defendi possit dubitatur. Nam Princeps dignitatem illam qui contulit, etiam in illa ipsa actione & collatione ad principale, nempe ad virtutem posteritatis, respexit: Sublato igitur principali; minus principale simul tolli verisimile est. Quocirca distinguunt nonnulli inter Nobilitatem familiae & nobilitatem personae, ita ut alicujus familia esse possit nobilis, ipse vero scelestissimus. Si autem collationem illam Principis adhuc vigere putas in persona degeneri, discernere debes inter nobilitatem Perfectam & Mancam, Perfecta sit, qua utroque nitatur fundamento: Manca, qua duntaxat illo minus principali.

Questio IV.

An qui propria virtute Nobilitatis dignitatem sibi acquisiverunt, præferendi sint illis, qui eandem à majoribus partam acceperunt.

Riden-

DISPUTATIONVM ETHICA-

1. Ridendi ꝛ veniunt, inquit P. Tholozanus, qui putant tantum nobiles, ratione sola generationis alicujus, qui Nobilis dictus est, ꝛ inde alij post illum: ꝛ virtute nuper nobilitatos, vel beneficio Principum dignitate donatos, contemnunt, ꝛ distinguendos à se putant. quasi verò eorum majores non fuerint aliquando novi, ꝛ aliquando cogniti similes alijs, ꝛ veluti si è cælo soli lapsi essent ita facti nobiles, non cogitantes ꝛ illam nobilitatem consensu aliquando hominum probatam ex causa aliqua, posse ex contrariâ abrogari. Adimitur enim ꝛ datur dignitas, ut intelligere facile sit, hoc esse accidentale ꝛ non substantiale hominibus,
2. esse nobiles, vel ignobiles. Imo ꝛ Plato docet, eos, qui obscuro loco nati virtutibus præstant, ordine superiores debere esse, quam qui clara stirpe creati, ijsdem virtutibus excellant, idq; non sine ratione.
3. Nam ꝛ Homo novus, nullis incitamentis allectus, nullis exemplis incitatus, nullis adjumentis fultus, nulla necessitate coactus, (quando cum majoribus suis in obscuro potuerat latere) solâ suâ virtute summum honoris gradum assecutus, non tantum seipsum, sed totum suum genus illustrat, totiq; posteritati principium existit nobilitatis. Hoc ꝛ argumento se tuetur Cicero in orat. contra Sallustium: Ipsi enim cum objiceretur generis ignobilitas, satius esse, respondit, meis gestis florere, quam majorum opinione uti: ꝛ ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium ꝛ virtutis exemplum. Et ꝛ de eodem refert Plutarchus in Apophth. Rom. Quum ob Ciceronis cognomen dicitur incessaretur, ab amicis admonitus, ut aliud sibi cognomen ascisceret; respondit, se Ciceronis nomen illustrius effectuum, quam esset Catonum, Catulo um aut Scaurorum. Nam hæ familie in primis illustres erant apud Romanos, quum Tullius esset novus homo. Cognomen autem ideo patebat cavillis, quod à cicere, vilissimo legumine, dictum videretur. Quasi verò non ꝛ Fabij à fabis, ꝛ Lentuli à lente cognomen habuisse viderentur. Addit igitur Plutarchus, parum illustris est, qui præter imagines ꝛ cognomen nihil habet nobilitatis: pulcerrimum autem nobilitatis genus est, quam sibi quisq; proprijs virtutibus conciliat. Nec fefellit M. Tullius. Ciceronis enim nomen hodie decantatius est, quam Catulli aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis ꝛ imaginibus. Ioannes ꝛ Huniades (referente Æn. Silvio de dictis Sigismundi ꝛ Friderici Imperatoribus) cum mississet ad Huldericum Cilie comitem, ut ad se veniret in castra, hoc facere planè noluit; ꝛ ad se missis respondit: Ego Comes ꝛ Princeps ꝛ tã nobili familia natus, ad te veniam, hominem novum ꝛ nostra etate nobilitatum? Quod cum accepisset Ioannes: Non ego (respondit) tuis majoribus, sed tibi me comparo: quanquam neque illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, majus lumen posteris-

RVM DVODECIMA.

posteritati meae cōparavi: atq; ut in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur; ita in me domus Nistricensis exornatur. Peggus † Florentinus libro de Nobilitate ita huc de re discurret: Quanto majoris habetur edificare domum, quā habitare, aut ornare aedificium; tanto prestabilius est atq; excellentius, ab se partam nobilitatem possidere, quā servare ab alijs acceptam. cum alter suis viribus & lumine resplendeat, alter prae se ferat alienum. Quare soli virtuti palma nobilitatis tribuenda est: Atria verò, majorum imaginibus referta, porticus signis ac tabulis ornati, magnifica villa, templa constructa, varia domus ornamenta, plus admirationis ad spectoribus, quā nobilitatis secum ferunt. Verum enim verò † licet eadem sit dignitas quoad essentiam, quae est in novis hominibus, & quae in Gentilibus, ut in precedentibus monuimus; est nihilominus aliquod discrimen quoad gradus & modos, recipit enim Nobilitas magis & minus, Piccol. gr. 8 cap. 16. ut merito sententiam jam explicatam rejiciat Bodinus lib. 3. de Repub. c. 8. Quandoquidem in illo, qui virtute simul & majorum claritate est illustris, duplici jure commendatione & honore dignus est: & quia proprijs se commendat factis, & quia majorum virtute, & ipse & tota ejus familia est commendatissima. Nonnulli † referente Tiraquello de Nobilitate cap. 19. triplicem faciunt nobilitatem: 9 incipientem, crescentem & perfectam, solam antiquam perfectam statuentes: idq; non sine ratione. Ut virtus parens nobilitatis: ita vitium ignobilitatis. Quo ergo antiquior virtus, eo & nobilitas est praestantior: quia a vitio & ignobilitate remotior. Quocirca † quia dignum laude virum virtus vetat mori; non ignobilium, sed nobilium posteri possunt

— pictos ostendere vultus

Majorum, & stantes in curribus Aemilianos, ut loquamur cum Juvenali Satyr. 8. Quid † multi? Semper nobilitas, longa serie ad posteritatem continuata, fuit in majore honore & existimatione, quā nova, aded, ut olim Ethnici nobiles genus suum vel ad Deos ipsos, vel ad homines inter Deos collocatos, referrent. Atq; hanc ob causam ipse Piccol. gr. 8 cap. 16. Nobilitatem definit virtutem generis ex temperamento, multorum successione confirmato, prodiens: per quam ad ingenua sumus faciles, aptiq; alios ad similia accommodatos procreare. Et † ib. cap. 19. causas enumerat, cur nobilitati tribuatur: 12. antiquitas. 1. est: Quia nobilitas cum virtute juncta est, ignobilitas potius cum vitio: virtus antiquissima dicitur firma & constans, quae servat se & alia; ut vice versa, vitia se & alia consumunt & evertunt: jure igitur primo, ob varietatem conditionis virtutis & vitij, antiquitas nobilitati tribuitur. Deinde † quia Viri nobiles

Ⓒ

nobiles

DISPUTATIONVM ETHICA-

- nobiles vitam vivunt Virtutis, quæ propriè & verè vita nuncupatur; diu vivere
 14. & antiquitate frui dicuntur. Tandem † quia familie nobiles, ratione sua
 nobilitatis, in unum principium rediguntur; id autem sumitur pro facultate
 præclarum venerandum, & ab invidia remotum. & quoniam semper veneran-
 da vetustas, & antiquiora judicantur diviniora, illustriora, minusque invidia
 exposita. Quare meritò antiquitas competit & tribuitur nobilibus familiis.
 15. Concludimus † igitur, ab antiquioribus familiis & nobilibus non quidem con-
 temnendos esse novos homines; propterea quod habeant eandem dignitatis essen-
 tiam; nec è contrario novos sese elevare debere supra gentiles ob modum & gra-
 16. dum excellentiorem, quem hæcenus monstravimus. Atque † huc usque ratio
 Tolozani verè & rectè concludit. Platonis magni momenti non est. Quandoqui-
 dem honore & dignitate parentum sæpenumerò non tam excitantur, quàm se-
 gnes redduntur posteris, & quasi eâ contenti in ea manere, nec ultra progredi
 velint. At vero novis hominibus verus accessit stimulus, qui cum antea honoribus
 carerent, atque in obscuro laterent, non tam sponte, quàm nimio pudore coacti,
 ad virtutes & honores omni studio contenderunt. Nec tamen sua, quantumvis
 ampla dignitate, tantum, quantum nobiles præstant. Dant ipsi posteris princi-
 pium nobilitatis: At hi principium simul atque incrementam suis heredibus lar-
 giuntur, ut rectè hanc controversiam decidit Keckerem. in disc. phil. disp. 12.
 §. 12. in fine.

Questio V.

Qui sint nobiles in Summo excellentiæ gradu.

1. Piccolomineus † gr. 8. cap. 15. & 16. quatuor introducit nobilitatis gradus.
 Nobilitatem divinam, moralem, naturæ, & fortune: quarum natura & con-
 ditiones ex superioribus sunt manifesta: videantur etiam apud Piccolom. l. d.
 ubi ultimo & quidem cap. 16. concludit, ex conspiratione singulorum graduum
 exactissimam in homine nobilitatis formam consurgere: cujus semen & spiritus
 sit nobilitas divina, materies nobilitas naturæ, forma proxima nobilitas morum,
 instrumenta denique & externus fulgor nobilitas fortune. Additque porro;
 hanc ut formosissimam, omnique ex parte perfectam; ita raram in mundo inspi-
 2. ci. Quod ipsum † etiam Aristoteles docet lib. 5. Polit. cap. 1. quando ait:
 Nobilitas & virtus in paucis cernitur. Nam nobiles bonique viri nus-
 quam ceptum reperiuntur, & locupletum ubique magnus est nume-
 rus.

RVM DVODECIMA.

tus. Hæc igitur in solis nonnullis Christianorum principibus resurgere vide- 3.
 sur, quorum genera (verba sunt Piccolominei) adeo sunt illustra, totq; multo-
 rum Herorum præclarissimis actionibus honestata, ut quasi proximi & salutare
 soles, Christianam Remp. servent, perficiant ac illustrent. Cum t enim No- 4.
 bilitatis principia, conspirantiaque ad eam, recipiant magis & minus. Nobilita-
 tem quoque magis & minus recipere quis dubitabit? Ac t (ut ceteras in Ger- 5.
 mania nostra amplissimas serenissimasque propagines silentio præteream) quis
 non videt (non enim dubitamus ea, quæ Piccolomineus Mediceæ tribuit familiae,
 ad Senerissimam Saxonie domum, quæ verba, quæ res, referre & accom-
 modare) in hac quadrata nobilium serie SAXONICAM FAMILIAM
 sublimem ac splendidissimum occupare locum? Ea namque cum vetustissima, eaq;
 secundissima, à Deo, à natura, à more, à fortunaque sua nobilitatis receperit
 semina, ex quibus innumera ac generosissima planta prodierunt, quæ temporum
 cursu florere, ac præclarissimas actiones, tanquam saluberrimos fructus, edidit:
 demum in magnis Ducibus & Electoribus Mauricio, Augusto, Christiano
 primo, Christiano secundo, & Joanne Georgio ad perfectam frugem,
 summamque perfectionem redacta est; quæ adeo firmis radicibus hæret, ut spe- 6.
 rare debeant viri probi, Dei beneficio diu servandam incolumem. In hac t
 Saxonie domo Nobilitatis forma cuncta fulget Magna, Supraque humanam
 conditionem micantia. Sive enim beneficia inspicias, quæ ea in Christianam Remp.
 contulit; Sive Orthodoxiam, quam summo zelo amplectitur, nutrit, propa-
 gat: sive magnificos sumptus pro literarum, ingenuarum artium, studiosorum-
 que hominum propagatione, sive splendorem militaris discipline; sive ornamen-
 ta Heroica prudentiæ, Magnificentia, ac Magnanimitatis; sive demum usus
 perfectæ justitiæ: nil invenies mediocre; nil inspicias, quod humanam conditio-
 nem non superet; nil quod divinitatem (ut homini licet) non redoleat. Ergo t ex- 7.
 actissimum hoc Nobilitatis exemplar, sublimibus ingeniis inspiciendum, Animis
 illustribus meditandum, viris probis magnificandum, patriæ nostræ Germaniæ
 fidelissimè colendum, mihi que demum summoperè admirandum & veneran-
 dum, humilimeq; colendum propono.

Quæstio VI.

Cur Nobiles accuratiore indigeant educatione.

C 2

Causam

DISPUTATIONVM ETHICA.

1. *Causam* † nobis aperit Tiraquellus de nobilit. cap. 20. dist. 1. ostendens, Nobiles ad honores, dignitates ac magistratus magis assumendos esse, quam ignobiles, ceterisq; paribus preferendos. Cui † adstipulatur Aristoteles lib.
2. 3. Polit. cap. 13. Nobiles suo quodam jure honores sibi arrogare dicentis. At †
3. qua ratione in his rectè gerere se poterunt, si non ad virtutes assuesacti, moribus ac literis ornati fuerint? Horum verò fons & radix est institutio & educatio recta Plutarch. in lib. de educat. liber. Prodeat Legumlator ille Lycargus, ac vim educationis, de his dubitantibus monstret: Producat suos catulos una matre natos, diversissima ratione educatos Plutarch. in Apoc. teg. Lacon. Sed hæc manifesta. Quis igitur dubitare audebit, diligentiore in nobilibus opus esse educatione? Accedit † quod talium hominum natura bona, à bonis quippe procedens parentibus: Nam, ut antea cum Horatio diximus: Fortes creantur fortibus & bonis. Maximè igitur danda est opera, ut ad naturam bonam accedat educatio bona, sine qua illa cæca. Vt n. solum telluris bonum sine cultura sterile scit: ita solum ingenij sine perito colono, hoc est, magistro, & sine semine, institutis videlicet, nullos dat fructus. Plut. l. d. Tandem † & illud non prætermittendum, quòd, quemadmodum solum, quantò melius fuit naturà, tantò deterius fit neglectu; ita & juvenes, quò magis ingenio valent, eò, si negliguntur, aut perperam educantur, deteriores evadunt ceteris, uti jam demonstravimus, idq; habet Plato i. de Republ.

Questio VII.

An filij ut à Patre, ita à Matre nobilitatem accipiant?

1. Ex utroq; † principio, tanquam ex gemino fonte manare ea videtur. Aristotelis enim sententia est: Genus tum de patre, tum de matre duci, & filios ab utroq; recipere & ducere genus. 5. Metaph. cont. 33. At, † inquit, jura civilia à publicis muneribus, testimonio, fidejussione, & judicandi officio eas remonent. Sic
2. † multa alia objici possent de potestate in liberos, de suite, de suis heredibus,
3. quodq; non continuent familiam paternam. Verum † hæc omnia juris positivi sunt, adeò ut de prioribus rectè dixerit Gratianus: nulla serie sacrarum literarum ab accusatione, aut testimonio prohibentur. Idem † quoq; de posterioribus censendum est. Quid enim sunt aliud, quam jura merè civilia, recepta moribus quorundam populorum, quibus & contraria constitui posse contra-
4. rio

RVM DVODECIMA.

rio iure civili, nemo dabitur? Quid t̄ multis? Negari non potest, familias & no- 6.
mina familiarum retineri alibi per mulieres, perinde ac per masculos, & nobilitate-
tem maternam in filios & descendentes transfundi, vel ipsissimo Vlpiano Icto
teste: Qui in l. i. Ad municipales lib. 50. D. tit. i. ita respondit: Qui ex
duobus Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed si ex patre
Campano, matre Puteolana, æquè municeps Campanus est, nisi for-
tè privilegio aliquo materna origo censeatur, tunc enim maternæ o-
riginis erit municeps, ut puta Ilienſibus concessum est, ut qui matre 7.
Ilienſi est, sit eorum municeps. Etiam t̄ Delphis hoc idem tributū & con-
servatum est. Celsus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeij Magni compe- 8.
tere, ut qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset, &c. In Gallia t̄ quoque
nonnullis locis receptum est, ut filius sequatur nobilitatem matris, ut est in consue-
tudinibus Campaniæ & aliorum, Trecentium art. 8. Senonensium, art. 149. Cal- 9.
vimontanorum, art. 5. & 11. Rei t̄ huius originem inde esse ferunt, quod omni no-
bilitate bello Campanorum extirpata, nobilium viduæ superstites ex privilegio
plebeis nubere maluerunt, aut in perpetua nobilitate consensescere; quàm ignotos
& extraneos procos sequi. Idipsum t̄ quoq; apud Xanthios obtinuisse Plutar- 10.
chus refert lib. de claris mulieribus. Item apud Lycios, ut testatur Herodotus:
Hoc Lycij, inquit, habent peculiare pro lege, quod à matribus nomina
sibiipsis induunt, & si quis obvium percontetur, quisnam sit, quave
familia ortus; à matribus, avisq; protinus genus suum reperet. Expe- 11.
rimur t̄ etiam hodie principes quosdam, magnates, & heroës nobiles, regesq; et-
iam suis insignibus miscere insignia familie matrum, perinde ac patrum. Et t̄ 12.
apud nobiles nostros Germanos consuetudo hæc obtinuit, ut non tantum ex patris
genealogia: verum etiam ex matris prosapia nobilitatem suam demonstrant. Sed,
t̄ inquit, hoc perperam fieri, cum in multis mulieres deteriores sint viris. Sit t̄ 13.
ita: si verò in multis: Ergò non in omnibus: imò verò contra dicemus, in multis
quoq; melioris conditionis esse mulieres viris: Hinc Permulti, ut inquit Plutar-
chus in Romulo, Mulieribus honores sunt habiti à Romanis: ut his transeuntibus
de via cedere, præſente muliere nihil obscenum loqui necdum aspici &c. Addis 14.
t̄ nobilitatem maxime conspicuam esse in possessione feudorum; quorum tamen
planè incapaces sunt mulieres, cum nec feudum exercere, nec arma movere possint.
Respondemus t̄ neutrum absolute verum esse. Non enim simpliciter aliquem in- 15.
capicem feudi tenendi, dicendum esse putamus, qui, quod præſtandum est per se
præſtare non potest, modo id per alium possit. Consentiant jura. Deinde t̄ feuda



DISPUTATIONVM ETHICA.

non sunt ejusdem naturæ & ingenij. Dantur masculina, dantur & foemina.
 Masculinum dicitur, quod transit ad Masculos, non verò ad foeminas, cap. 1. §.
 Hoc autem notandum, de his qui feudum dare possunt, in feud. Imò
 si in investitura mentio facta sit foeminarum, non tamen succedere possunt, nisi ma-
 sculis deficientibus. cap. 1. §. Quam etiam Episcopi vel Abbates. Fo-
 18. mineum id dicitur, quod transit ad foeminas. Est t̄ preterea feudum mater-
 19. num, quod à foemina cognationis capite descendit, ut tit. de beneficijs fem.
 Imò Jacobinus de S. Georgio notat plures casus, in quibus regula illa, femi-
 nas ad feuda non admittendas esse, recipit restrictiones, & causas propter
 quas admittendæ sunt, tract. de feudis, ad verba, de feminis. Quemad-
 20. modum t̄ etiam id pluribus exequitur Franciscus Curtius tract. de feudis.
 3. part. quæst. 1. Quod certe nullo modo verum esset, vel fieri posset, si simpli-
 citer propter sexum, vel quod arma gestare nesciant, foemina ad feuda non essent
 21. admittendæ. Adde, t̄ quod causa hæc ᾱ τ̄ λ̄ ο̄ς non obtineat, indicio est, quod
 multi masculi armorum tractandorum impotes sunt, & nihilominus feuda, ad se
 per successionem devoluta, retineant & possideant, si modo per alios idoneos servi-
 tia militaria & alia jura Dominicalia exequantur: atque ea quando ita præ-
 stant, feudis minime privantur; quamvis, si non facerent, privarentur. Taceo,
 quod multis conveniat, ut mallent tractare pensum & colum cum Sardanapalo,
 22. quam hastam cum Alexandro Magno. Quinimò t̄ feudorum jura à consuetu-
 dine pendent, quare pro varietate circumstantiarum, limitari, corrigi, vel etiam
 plane abrogari possunt, nec legem important, vel nature, vel alijs nationibus, a-
 23. bi propria sua jura sequuntur. Tandem t̄ non omnis quoque principatus feu-
 dum est, neque omnis dominatio vel gubernatio Reipubl. est juribus feudalibus
 subjecta: sed deferuntur potestates vel jure regni, vel jure successionis & patri-
 monij vel electionis. Non igitur externus splendor nobilitatis unice in possessio-
 24. ne feudorum consistit. Ceterum t̄ non etiam hic quaeritur tam de externo ne-
 bilitatis splendore; quam de interna nobilitatis communicatione, quæ ex genera-
 tione fluit & definitur à Piccol. grad. 8. cap. 20. quod sit virtus generis ex
 congruente temperamento prodiens. Iam negari non potest, quod non
 tantum Mas, sed Foemina quoq; sit & dicatur verè nobilis vel ignobilis. Si igitur
 nobilis fuerit, omnino etiam patris nobilitatem impertiri videtur, & forsitan magis
 25. quam patris. Nam t̄ nobilitas, ut illa jam modò descripta est, ad corpus potissi-
 mum pertinet: quod unà cum suo temperamento à matre est. cum non tantum, ut
 quidem Aristoteles sentit, mater soboli materiam & nutrimentum suppeditet:
 sed

RVM DVODECIMA.

sed insuper etiam omnia in eius utero coquantur & contemperentur, qua foetam
constituunt, adeo ut etiam imaginationem matris sequantur saepe vestigia & si-
gna conspicua eorum, quae mater exoptavit, in corpore nati. Piccolominius † loco 36.
allegato respondet: Nobilitatem ex utrisq; duci, praesertim tamen à patre. Ra-
tio est, quoniam parens sua genitura tanquam instrumento prolem format, femi-
na verò pro materie tribuit sanguinem menstruum, cum autem genitura sit ea,
quae congregat, alterat, terminat & format, dum materiei dominatur, sibi simi-
lem & generosam constituit prolem, eiq; per coctionem congruens tribuit tempe-
rumentum, dum verò ei non dominatur, sed ob materiei adversam conditionem
nonnunquam vincitur, sequitur quasi monstrum, non primo operatum, degenera-
tio quaedam: ac prima degeneratio est, dum non valens matrem formare, femi-
nam format (ut docet Aristoteles in 4. de gen. animal. cap. 3.) adeo ut
mater tunc per pugnantem & adversam materiam causa & occasio sit degenera-
tionis. Rectè igitur dictum est, nobilitatem praesertim à patre duci, femina 37.
autem nobiles secundo loco nobilitati conducunt, & sunt causa sine qua non,
sunt causa in genere materiei, quatenus materiam aptam & ineptam praebent.
Ex his † conspicuum est, magnam esse adhibendam curam (ut monuit Plato) in 38.
eligenda uxore, querendam esse nobilitatem, morumq; integritatem, non pecuni-
am, ne prodeant degeneraciones, quae sunt monstra, praeter desiderium agentis, o-
mni paupertate deteriora. Atque † hac etiam Ictorum est sententia, quibus li. 39.
beri familiam & dignitatem patris sequuntur, l. filiam 9. l. filios 10. ff. de
Senator. l. exemplo 36. C. de Decurionibus.

Questio IIX.

An ad vitam rectè instituendam magis conferat no-
bilitas, an potius congruens educatio?

Vtraq; † bona est & nobilitas & congruens educatio; utraq; etiam ad fi-
nem dictum conducit: sed non eodem modo & necessitate. Simpliciter necessaria 1.
est bona educatio; non ita nobilitas: imò nobilitas sine educatione congruente non
est nobilitas. Socrates † dicere solitus fuit opes & generis nobilitatem, non 2.
solum nihil in se habere honestatis, verum etiã malum omne ex his oboriri. Laert.
l. 2. c. 5. Intellexit autem nobilitatem sine institutione. Et Diogenes Nobilitatem
atq; hoc genus fortuna bona, nihil aliud, quàm velamina malitiae esse dicebat.
Nobiles

DISPUTATIONVM ETHICA-

3. Nobiles enim cum alijs nihil sint meliores, tamen peccant licentius, Vera t̄ am-
tem educatio, institutio & doctrina non tantum nobilitatem generis splendidio-
rem reddunt & conservant: verum etiam conferunt & largiuntur. Testatur
4. t̄ hoc Horatius Carmin. lib. 4. Ode 4. Postquam enim docuit, fortes creati
fortibus; addit:

*Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Utcunq; defecere mores,
Dedecorant bene nata culpa.*

5. Bona t̄ mens, inquit Seneca, omnibus pater. Omnes ad hoc su-
mus nobiles: Nec eicit quenquam Philosophia nec eligit: Omni-
bus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit &
rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem
6. Philosophia sed fecit, Epist. 44. ad Lucill. Antigonus t̄ Rex Bionem Philoso-
phum de ignobilitate criminatum interrogavit: Quis & cujus es? ubi tua Civi-
tas? ubi sunt tui parentes? Cui Bion respondit: O Rex benefacis, cum indiges
Sagittarijs, quod non interrogando genus, sed scopum proponendo optimos illorum
tibi eligis. Sic igitur amicos explora, non unde nati; sed qui & quales sint. Sen-
sit vir sapientissimus, veram nobilitatem nequaquam ex patria & parentibus, sed
7. ex virtute & vita innocentia metiendam esse. Stob. Serm. 84. Harmodius t̄
prisci illius Harmodij abnepos cum Iphicrati, qui patre sutore natus erat, generis
obscuritatem objiceret: Meum, inquit Iphicrates, genus habet à me originem,
8. tuū verò in te desinit. Plutarch. in apoph. & in Cic. Lycurgus t̄ studens cives
suos à moribus presentibus ad temperantiorē vivendi rationē traducere: Ne nobis,
inquit, o Cives nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, nisi omni studio &
operā, illa ipsa gesserimus, per quā ille omnium mortalium clarissimus & genero-
sissimus extitit, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt, & discamus & exerceamus.
9. Plutarch. in Lacon. Et t̄ Chrysostomus in Matth. inquit: ille clarus, ille
sublimis, ille nobilis, ille tunc integram suam nobilitatem putet, si
dedignatur servire vitijs & ab eis non superari. Et Casiodorus ait: Do-
ctrina facile exornat generosum, quæ etiam ex obscuro nobilem facit: Epist. 8.
10. lib 9. Magis t̄ itaq; ad vitam necessaria est congruens educatio & institutio,
11. quàm nobilitas: Interim tamen non simpliciter præferenda videtur. Nam t̄ ut
recte

RVM DVO DECIMA:

recte monet Piccolom. grad. 8. cap. 21. In nobilibus congruens consuetudo & institutio proportionem cultui, nobilitas seminibus respondere videtur. Ut igitur semina sunt principia priora, ex se potentiora & praestantiora; cultus vero posterior, humilior & tanquam instrumentum, necessarium tamen: ita etiam nobilitas priori, potiori, eminentiori modo concurrit. Habet tamen hoc optimum 12.
 generosus animus, inquit Seneca epist. 37. quod concitatur ad honesta. Et Aristot. lib. 1. histor. anim. cap. 1. Nobile id est, quod ex bono prodit genere: generosum, quod non a sua natura degeneravit. Assuetudo tamen est magis necessaria, magis in nostra potestate posita, ac proximè animi vitamque nostram format. Ad nobilitatem itaque concurrunt optima institutio & assuetudo, ex nobili generosum facit: ut enim quis non a sua natura degeneret, illa sola in causa est, & efficit. 13.

Questio IX.

An in civitate, quae Tyrannide premitur, nobiles verari possint: & ubi sit propria illorum sedes.

Repetenda tamen hic est sententia Ciceronis pro Sextio, supra etiam usurpata: 1.
 Omnes boni semper nobilitati favemus, & quia Reipubl. utile est, nobiles esse homines, dignos majoribus suis, & quia valere debet senex apud nos hominum de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum. Cum tamen itaque viri nobiles ornamentum sint civitatis, testimonia pristinæ virtutis, exempla omnis honestatis & libertatis; non frustra queri videtur de illorum propria & genuina sede. Nobilis tamen quidem ubicunque locorum degat, 2.
 nobilis est, virtutem possidere, & heroicum animum retinere sibi potest: nihilominus in illa Reipubl. propriam & accommodatissimam sedem habet, quae est optima, hoc est, in qua virtus praesertim queritur & maxime fit: quandoquidem 3.
 ibi cuncta diriguntur ad colendam, amplificandam, perficiendamque nobilitatem: Vbi vero Tyrannis dominatur, ibi nullus personarum, virtutum & honestatis respectus est, ideoque omnes serviliter educantur. Evenit inde, ut per id servile vita genus, familiae nobiles in viles & sordidos facillime degenerent. An non tamen olim 4.
 Athenae & aliae Persarum, Lacedaemoniumque praestantissimae & splendidissimae urbes floruerunt nobilitate? annon illustribus fulserunt ingenuis? Nunc autem ubi sunt? Inensissimis Tyrannis pressae, nec non nobilitatis splendore destituta, te- 5.
 nebricos a languent. Expedi tamen igitur viro robili patriam suam, Tyrannide pressam, deserere, & sibi suisque posteris sedem & locum feliciorum, quo nobilitatis for-

D

nam

nam conservare, & virtutem non tantum possidere, sed etiam exercere, atq; ita summum civile bonum factum rectum conservare queat, querere & parare, cogitareq; quod mundani cives sinus, & ubi bonum ibi patria sit.

Questio X.

Quæ illustriorem Familijs præbeant Nobilitatem:
Literæ, an Arma: Actio an Contem-
platio?

1. Si Questio est de Nobilitate Generis sive natura, respondemus cum Piccolomineo, quod eam neq; actio neq; contemplatio; neq; arma neq; litera pariant:
2. cum per naturam & ortum competat illis, quibus tribuitur. Aliud est verò est, quando queritur, quid magis eam patefaciat. Vbi etiam, ut vult idem Piccolomineus, non debet comparatio institui inter Arma & Literas, sed inter Arma & Togam, hoc est, inter duo actionum genera, quorum unum militiae, alterum administrationi Reipubl. dicatum est. Hinc et porro ita progreditur idem autor & nos cum ipso: Contemplatio absolute prodest actioni, administratio Reipubl. præest ducibus militiae, adeo ut vera sit hæc sententia: Cedant arma togæ: cedat toga contemplationi. Quod et ita demonstrat: Nam munus contemplationis est inspicere verum, cognitio veri dirigit & componit actiones: ars militaris cum pro fine habeat pacem & incolumitatem Reipubl. ab illis dirigitur, illisq; inservit, qui Reipubl. præsunt; ac si idem fungatur utroq; munere, tamen ut princeps Reipubl. imperat sibi seq; dirigit in attinentibus ad militiam. Atq; hæc hanc esse rationem, addit Piccolomineus, quod Plato, & cum ipso Aristoteles, artem militarem civili subjecerint. Concludit tandem: Nobilitatis formam per conpirationem actionis & contemplationis, splendidissimam, omniq; ex parte sibi respondentem & firmam fieri. Cetera vide apud ipsum Piccolomineum gr. 8. c. 22.

Ornatif-



Ornatissimo & Doctissimo
Dn. Respondenti, amico,
Sympatriotæ & commensali suo
exoptatissimo.



Ajorum, est aliquid, genus,
Majorumq; ab avos ducere ab Æaco,
Est, pugnata Patrum retrò
Multis temporibus bella sub Ilio

Demonstrare in imagine,
Est arbusta viro latius ordinet

Sulcis: est generosior

In campum veniat moribus, hic eat

Pugnatum melior pugil,

Verùm nobilior laude sua, haud suum

Qui virtute frui cupit.

Quid prodest etenim sanguine patrio

Censeri modo? quid genus,

Aut fasti faciunt? quid numerus virum

Magnorum numerosior,

Si coram lepidis non benè vivitur,

Insciteq; labat genus?

Hoc tu dum recolis, prime sodalium,

Non

Non laudes Proavi, aut avi,
Majorumq; crepas stemmata; sed tuis
Dici dotibus ingenij,
Nec non arte studes nobilem:
Ergo maeste animo, simul
Et virtute tua maeste rogo: brevi
Sic praecomparibus tuis
Sublimi feries sidera vertice.

Φιλοσοφίας καὶ Φιλοφιλίας ἔνεκα
deproperab.

M. Iohannes Callenius.




Wittenberg. Diss., 1613/23


V. 17


ULB Halle

3

002 673 304







Farbkarte #13

B.I.G.

onum Ethicarum
 DECIMA 7
 De 1613 7
 LITATE,
 Wittebergensi Academia
 proposita, 39.
 Æ S I D E
 O MARTINI
 re publico Ordin: &
 Extraord.
 P O N D E N T E
 E Heinrichs, Lüne-
 burg. Saxone.
 diem 30. Januarij.
 WITTEBERGÆ,
 i Henckelij, Anno Christi.
 M. DC. XIII.

